

DISSERTATIO INAUGURALIS,

IDEAM *var.*

PANEGYRIOS  
SATANICÆ

EXHIBENS;

*Quam*

BENEDICENTE DEO,

*Ex*

Suffragio Ampliss: SENATUS PHILOSOPH:  
in Regio hoc natalis soli, Musarum  
Palladio,

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo*

M. PETRO HAHN,

Phys: Prof: & Biblioth: Ord: & Regio,  
PRO GRADU MAGISTERII,

eiusq; Privilegiis legitime obtinendis,

*hennem literatorum discussionem, die 30. O-*  
*bris An: 1697. horis locoq; consuetis,*

*defert,*

VILHELM BURGENTZ.

---

*ABOÆ, Impr: apud Jo: WALLIUM.*

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
SUMMÆ FIDEI VIRO,

*Illustrissimo atque Excellentissimo  
Domino,*

DN: LAURENTIO  
C R E U L Z /

LIBERO BARONI ac DOMINO  
De Sarvelax/ TiusterBy/ ForsBy  
Ottinge & Tykôd/ etc.

Dynastiarum Aboensis, Biörneburgensis  
*ut &*

Alandensis,

PRÆSIDI ac TOPARCHÆ REGIO,

Domino Gratosissimo,  
Patrono ac Promotori  
meo, ut summo

*ita*  
Benignissimo,

FELICITATEM &

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
MAGNÆ FIDELI VIRO,

*in CHRISIO Patri*

ac

*Domino Reverendissimo,*

DN: JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Celeberrimo,

Inclytæ Diœcesios Aboensis EPISCOPO  
Eminentissimo,

Academiæ Ibidem  
PRO-CANCELLARIO

Permagnifico,

Domino, Mæcenati  
meo,

Magno ac Optimo.

*ANNOS!*

ILLUSTRISSIME BARO,  
REVERENDISSIMEQVE PRÆSUL,  
DOMINI GRATIOSISSIMI.



*Admirandum illum spirituum  
finitorum, Angelorum, vi-  
delicet ordinem, ex nihilo  
virtute Omnipotentis DEI,  
intra sextiduum conditum  
esse, bonos pariter Angelos hosce omnes pro-  
ductos, substantias nimirum spirituales, DEUM  
ipsum, non tantum qua naturam spiritualem,  
eam.*

eamque concomitantes perfectiones, sed & accuratam intellectus sapientiam, ut & voluntatis iustitiam ac sanctitatem quadantenus referentes, perhibet sacrarum literarum veritas. Quibusdam autem dignitatis & eminentiæ Angelicæ contemplatione, proprio arbitrio adeo insolescentibus, ut à conditoris sui imperio pendere nollent, quin sese ei conferentes, eidem debitum obsequium solvere detrectarent, factum, ut eos dotibus, quibus condecorati erant præstantissimis, nudatos, iratus DEUS, a ministrorum suorum numero exclusos, æternisque vinculis ligatos, a cælo in tartarum præcipites ageret. Unde uti subinde ex permissu DEI spiritus illi impurissimi exire habent; ita per ærem vagantes, hominem præprimis, adversus quem ab origine statim lapsus, partim ex amissi status dolore, partim ex alienæ felicitatis invidia immedicabile odium conceperunt, adoriuntur, illique insidiaturi, omni arte ac dolo ad perviciem hominis æternam facientia machinantur. Inter varia autem, quæ venatores illi subdoli, hostilitatis suæ semina spargentes, moliti sunt, sunt & hor-

ren-

tende illa PANEGYRES, in quibus Demon  
Simiam DEI agens, se religiose mancipiis  
suis adorandum exponit. Sagis namque De-  
mon festas noctes ex pacto indicit, quibus  
congregatis in magna frequentia Magis  
Sagisque, Demon forma monstrosissima in  
folio sedens, se certis solennitatibus colen-  
dum sistit, variorum deinceps execrandorum,  
utpote tripudiorum, dulcissimorum symposi-  
orum, ac congressuum licentiam cum suis A-  
masiis Demonibus illis indulgens; non alio  
sane consilio, quam ut his tam nefandis  
artibus, ad idololatriam hominem inducat,  
horrendique sceleris participatione, sui exi-  
tium socium reddat. Subtilis autem & spino-  
sus cum sit præsens discursus, nec à quo-  
piam, prout mihi quidem innotuit hætenus  
discussus: placuit ergo hunc utut intricatum,  
ad ductum Clarissimorum auctorum breviter,  
ac quantum permæria patiuntur Philosphi-  
ca examinando persequi. Ausus autem sum  
VESTRIS MAGNITUDINIBUS, ILLUSTRIS-  
SIME BARO, ut & REVERENDISSIME  
PATER hunc qualemcunque conatum  
Academicum, in reverentiæ ac debite subje-  
ctio-



Ætionis symbolum submisſe committere, ſpei-  
plenus, quod me in clientelam VESTRAM, jam  
receptum, & ab inelyta præſtructorum nomi-  
num VESTRORUM auctoritate, patrocinium  
ſuppliciter implorantem, pro ſolita huma-  
nitate, ſub umbone VESTRO deliteſcere  
non dedignabimini. Et viderer Jane merito  
impudentiæ nota aſpergendus, ad concuſſum  
maximorum negotiorum, quæ ad communem  
omnium ſtuporem ſuſtinetis, hanc PANEGYRIOS  
IDEAM adjiciens, niſi probe conſcius eſſem,  
altas immenſorumque capaces VESTRAS men-  
tes, ita gravioribus publicis curis totas oc-  
cupatas eſſe, ut partitis tamen ſtudijs, velut  
per diverticula ad leviora identidem pulcher-  
rima propenſione recurrant. Nunc vero  
ILLUSTRISſIME BARO, REVERENDISſI-  
MEQUE PATER, ſimplici huic etiam  
ſcripto, quod ingenua devotione in manus  
VESTRAS trado, ut fadeatis, mihiqve favo-  
ris VESTRI viam jam apertam, ut paten-  
tem etiam dehinc habeatis, eſt quod hu-  
milime exoro. Ego gratiſo VESTRO affe-  
ctui quid reponere, præter pia ad ſupremum  
NUMEN vota non inveniens, opto eant inof-  
fenſo

*senso cursu laudes VESTRÆ, ac nominis doctes  
eant labores VESTRI, ac pro REGE, Pa-  
tria, Ecclesia, communique omnium Salu-  
te, suscepta vigilia; eant inquam per col-  
loquia eruditorum, curias annalium ac po-  
steritatis seriem, in hominum memoriam  
ac eternitatem!*

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ,  
ut &

REVERENDISSIMÆ TUÆ PATERNITATIS

*Humilimus Client*

WILHELM BARGENTIN.



DEO DUCE °

SECTIO PRIMA,

*Existentiæ Diabolicæ, Paëtorumque Demonstratione, aditum quâsi parans ad ea, quæ præsens discursus sistere debet.*

§. I.

**N**eam Panegyrios Satanicæ exhibituri, à primo feriarum harum auctore, *Diabolo* auspicabimur, ut eo ejusque studiis, *paëtis* videlicet perspectis, evidentius nobis de hoc opere, existat iudicium. Multis autem licet olim, tam *directe a Sadduceis*, horumque errorem suscitantibus *Catabaptistis*, quam *indirecte à Photinianis*, Spiritus adeoque *Dæmones* impugnati sint: eorum tamen *existentiam*, (exceptis illis, quæ de horum origine & lapsu divina revelatio tradit) tam *effectus in obsessis conspecti, variæque Dæmonum,*

A

sub

*sub varijs larvis apparitiones; quam  
 stupendæ illæ operationes magicæ, Pactis Di-  
 abolicis tanquam fundamentis innixæ,  
 tam certam nobis reddunt, ut de illis nil  
 plane dubitare habeamus. In Dæmoni-  
 acis enim, varios deprehendimus effe-  
 ctus, deprehendimus linguas exoticas, ar-  
 tes, disciplinas, resque abditas, ac in remo-  
 tissimis locis gestas, item futura indicata,  
 quæ in ipsis ante obsessionis raptum  
 conspicua non fuerunt, quæ etiam libe-  
 rati non amplius norunt. Conspici-  
 mus etiam robur stupendum, ac plus-  
 quam humanum, sermonis impuritatem,  
 gestuum deformitatem, Dei blasphematio-  
 nem, similiaque, naturas omnino inha-  
 bitantes eminentiores, easque malas ar-  
 guentia. Fidem his porro faciunt to-  
 ties observatæ spectrorum apparitiones, visa  
 terricula auditique tumultus nocturni, cer-  
 tis temporibus, locis & domibus, va-  
 rias vexationes efficientes. Quibus ac-  
 cedunt Dæmones Castrorum militarium,  
 spectra, futura, utpote bella, pestem, va-  
 riasque regnorum mutationes denun-  
 cian-*

ciantia. De quibus Mart: Delrio *lib: Disquisi-*  
*fit: Mag: 2 Q 27.* nec non quæ idem, ex  
 vita S: Noberti, de *Demone*, claro die jam  
 unum, jam alterum, jam sub *Æthiopsis*,  
 jam sub *D: Pauli*, jam sub *canis molosse*  
*figura* infestante disserit. Dantur deni-  
 que *Magi* Germanice *Schwarzfünfeler*  
 nominati. Sic *Magiæ* suspectæ olim, par-  
 tim *integræ gentes*, de quibus *in tract:*  
*Magiæ Johan: Ad: Osiander.* partim  
*personæ singulares*, eæque tam *viri*, quam  
*feminae*, quales fuere *Præstigiatores Pha-*  
*raonis in Ægypto*, qui similia *Mosis* mi-  
 raculis, in convertendis baculis in ser-  
 pentes patrasse leguntur. *Mulier Pby-*  
*tonica*, umbram Samuelis, Sauli produ-  
 cens, pluresque prolixo satis ordine, a  
*Mart: Delrio*, nec non *D: Johan: Ad: Osiand-*  
*ro* recensiti. Dantur inquam *Magi*, dan-  
 tur etiam *operationes a Magis*, opera *Dæ-*  
*monum*, vel *re ipsa*, vel *in speciem effectæ*,  
 & ad *tria genera* reductæ: ut fiant vel  
*circa Elementa*; vel *circa corpora præsertim*  
*hominum, & animalium*; vel *circa spiritus*.  
 Quæ cum *industriam humanam exce-*  
 dant,

dant, ad alios spiritus, viribus humanis altiores, tanquam auctores nos deducunt.

§. II.

Hi *Damones*, quos substantias non *materiales & corporeas*, cum Pythagoricis & Platonicis, sed *immateriales & incorporeas* facimus. Quos etiam *bene multos esse, ac certis classibus distinctos* constans est sententia, etsi *de numeri certitudine, ac speciali ordine*, non revelante scriptura, nil determinare valeamus. Hi, postquam a Deo irato, patriis sedibus expulsi, ingenti etiam ex hac ignominiosa deturbatione, odio adversus DEUM concepto, DEI humanique generis capitales hostes facti sunt, qui gloriam DEI labefactare, & mortalium animabus infidari queant, omni studio ac arte machinantur. Videns autem Leo rugiens, *facto* tanquam fundamento obtento, feliciora hostilitatis suæ molimina futura, varia singulari acumine molitus est, DEUM ipsum, ut in aliis quantum potis est operibus, ita & in *federum*  
san-

*sanctione*, tanquam *Simia* imitaturus, *Simiam* igitur DEI agens, cum perditis suis mancipis, omni conatu contrahere, & mutua tam *sponsione* quam *stipulatione* facta, ea sibi in obsequium adjicere studet. Hujus voti eo facilius compos existens, quo *& ejus astutia, & depravata natura humana*, major ad talia inclinatio est. Petulans enim ingenium humanum est, bonis legitime conquisitis non aquiescens, unde fit, ut jam divitiarum, jam scientiarum, jam honorum cupiditati indulgens, ad Dæmonem nebulonem istum mentiendo ditissimum, eruditissimumq; decurrat. *Nimia* inquit Joh. Georg: Godelman lib: I. c. 2. *de magis, Cupiditas futura & occulta sciendi, præcipua est causa, propter quam Magi sese Diabolo obstringunt. Nec enim quisquam sua sorte contentus est, sed certatim omnes in DEI arcana penetrare volumus. Est casuum insuper adversorum adeo impatiens, ut parum læpissime attendat, quas inire debeat vias, quasve condiciones admittere, dummodo adversitatum mitigationem inveniat. Ibi*



*Demon ut loquitur ceber: Doct: Johan: Adamus Oliander in tractatu de Magia, homines in his difficultatibus constitutos animadvertens, prompte & abinde illis insidiatur, eosque suo accommodatos instituto perspiciens, adeo ut in eos facile agere queat, insinuat sese, & suam illis pollicetur operam, dummodo salibus, qualia ille ipsis ad hanc rem prescripserit, uti velint medis. Hic dum homini, nullum est remedium majus, nullum suavius, nullum efficacius, quod ipsum impellat ad societatem cum Demone ineundam, quam id ipsum: nihil itaque disceptans amplius, Sata-ne assentitur, dummodo possit, in istis anxietatibus relaxationem & auxilium consequi. Porro notandum Demonem in istis angustiis hominem arctius constringere, eoque adducere ut suis insaturationibus eo ausculter libentius, quia quod se in illius gratiam facturum fuerat pollicitus presto sit, & jussa ejus expectet. His accedit, verba sunt ejusdem, quod res ab isto homine implenda, puta corporis & anime traditio & resignatio, suum complementum multis post annis sit habitura, & proinde quoad presens, & instans tempus,*



*multis modis varia & incerta: quapropter homo naturalis, de suo futuro & ultimo statu minime laborans, presentem commoditatem, damno & supplicio longe post instigendo anteponeit, & hoc modo persuasus se Satane tradit. Ex his, & similibus occasionibus antegressis, multi homines eo adducuntur, ut apertum pactum cum Dæmone in-  
 eant. Præterquam ergo quod ratio Pactum tale nobis persvadeat, probant id actiones etiam Magice, ejusmodi nempe opera, quæ non Magorum viribus, sed Dæmonis auxilio fiunt. Dæmones autem ab hominibus cogi nequeunt, ut id faciant; nullum enim est homini in spiritualia imperium, sponte itaque hoc ipsum Diaboli faciunt, ast quia gravi hominem prosequuntur odio, non putandi gratis accurrere, sed vicissim, aliquid operæ suæ præter stipulari. Uti placet Mart: Delrioni *Lib: Disquis: Mag: 2. quest: 4.* Intercedens illud Pactum, ostendunt etiam, scripta Diabolo exhibita, stigmataque, quibus, devoti signati reperti, ubi vero*

8  
indicia confœderationis, ibi & pactum  
fit oportet. Quibus subscribunt ex *Pa-*  
*tribus* etiam Cypri: *lib: de Duplici Mar-*  
*tyrio.* August: *de Doct: Christ: Tertulian:*  
*de Præscriptione.*

§. III.

Hoc pactum vanum non tantum &  
impium, sed & periculosum (quo in-  
tercedente, homo, se, suaque Diabolo in fi-  
dem & obsequium addicit, Satana se suos de-  
votos beatorum, hostes ulturum, mala aver-  
surum, bona adjecturum, repromittente) Du-  
plex harum rerum inquisitores faciunt.  
*Expressum* unum, *Tacitum* alterum. Illius  
*tres* explicant modos; ut fiat, vel Diabo-  
lo forma visibili comparenti, & coram  
testibus illud confirmanti: vel ipso qui-  
dem præsentem, sed absque testibus; vel  
per vicarium ejus, *Magum* videlicet al-  
terum, & quidem hoc ubi paciscens, ut  
sentit *Delrio*, Dæmonis aspectum vel col-  
loquium reformidat. Absolvitur autem  
hæc *expressa Confederatio*, bis potissimum  
solennitatibus, nempe modo dextra saltem  
porrecta, verbisque sine scripto; modo ver-

verbis solenni scriptura firmatis; modo  
 obligatione etiam sanguine exarata.  
 Teste Bodino *De Demonomania Lib: 2. Cap.*  
*4. modo signo insuper stigmatico, corpo-*  
*ris alicui membro, sed non nisi in par-*  
*tibus abditissimis impresso. Ut Exem-*  
*plis hæc certissima reddunt Bodinus De*  
*Dæmonom: Remigius De Dæmonol: Pactum*  
*Tacitum, alias interpretativum dictum,*  
*vicissim duplex constituunt, Primum ipsis*  
*est, quando quis sciens & volens, cere-*  
*moniis & verbis utitur, magicis. Secun-*  
*dum, cum quis iis utitur, nesciens illa su-*  
*perstitiosa esse, aut a Diabolo instituta,*  
*ad ejusmodi effectus, vi Diabolica pro-*  
*ducendos. Uti docent Joh: Fromman*  
*in Appendice Tractatus Singul: De Fascinati-*  
*one, Godelman in Tractatu de sagis Lib: 1.*  
*Cap: 9.*

#### §. IV.

Capita quod spectat expressi Pactis;  
 Ea alia a parte Magorum, alia a parte Dæ-  
 monis. Quæ a parte Magorum talia sunt,  
 ea decem conclusionibus, a variis Mago-  
 rum confessionibus collectis, compre-

hensa habet *Mart: Delrio*. Quarum *Prima*  
 est, quod quicumq; se Dæmoni dedere ve-  
 lint Baptismo, in quo vero DEO initiati  
 sunt se renuncient. *Secunda* patiantur  
 se baptisari in nomine Diaboli. *Tertia*  
 negato nomine priori, novum sibi im-  
 poni. *Quarta* abnegatis Patrinis, vel  
 Matrinis baptismi, novos sibi assignari.  
*Quinta* quod præstent juramentum, su-  
 per circulo in terram sculpto. *Sexta*  
 quod petant se deleri e libro vitæ & in-  
 scribi in librum mortis. *Septima* quod  
 polliceantur sacrificia. *Octava* quotannis  
 etiam aliquid, suis Magistellis Dæmoni-  
 bus pendere. *Nona* quod patiantur par-  
 ti alicui corporis, modo huic, modo illi  
 stigma Diaboli imprimi. Sic signati,  
 varia deniqve promittunt. Præprimis  
 silentio se pactum cum Dæmone obscu-  
 raturos, stas etiam diebus, ad conven-  
 tus, si queant advolatuos, quæ illic per-  
 agenda, non segniter obituos, & quot-  
 quot poterint, Dæmonis servitio ad-  
 juncturos. Cum quibus conspirant quæ  
 Joh.

Joh: Georg: Godel: *lib: 1. c. 2.* de modo confæderationis habet, quem vide. His peractis, *Dæmon* contra a parte sua, Magis pollicetur: *Primo* certos apparendi modos, quando illum conventum volunt: *Secundo* sacrificia & obsequia, ad quæ se adstringit. De quibus explicatius sic habet Godelman *Lib: 1. cap. 2. p. 9.* *Diabolus assumpta monstrosa forma, & nomine, mancipiis suis se offert, familiariter colloquitur, multis fallacibus obligationibus pollicetur, se vocatum ab ipsis, quovis tempore præsto futurum, consilia collaturum, omnibus in rebus opem allaturum, ad interrogata responsurum, ex omnibus periculis, & carceribus liberaturum, opes, divitias, voluptates, sine ipsorum labore subministraturum, denique se totum eorum voluntati, veluti mancipium subiecturum, & imperata studiosè exequuturum.* Et hæcenus de iis, quæ præmittere jubebant *Sabbatha*, Pactum tanquam fundamentum præsupponentia, jam ad propositum.



## SECTIO SECUNDA,

*Translationis, ad Panegyres rationem & certitudinem tradit.*

## §. I.

Partes obligationis Magicæ in superiori thesi recensendo, diximus inter alias pollicitationes, promississe etiam illos, se ad *celebrationem festorum* statis diebus accessuros. Certum enim uti DEUS & locum & tempus, exercendæ religioni populo suo olim designavit; certas etiam ut erexit Synagogas, populum legis Divinæ ignarum, in illis eruditurus; ita & diabolus DEI *Simiam* in omnibus suis actionibus acturus, gregi suo Acherontico, *Panegyres* & Synagogas, quas *Sabbatha Satanica* vocant, indicit. Suos in istis Sacris initiaturus, & in fide privatim data, publice confirmaturus. Horum autem *conventuum Ideam* explicare, cum in animo sedeat, consuletum ducimus quædam juxta probatissimorum auctorum dictata, de *translationis ratione & certitudine* præfari, ritus circa ferias observandos deinceps persequuturi.



Id autem in antecessum notamus, nos translationem totius compositi, quandoque realem asserendo, illis haudquaquam adstipulari, qui audacter affirmant: animas scilicet Magorum, ut Satanae extra corpora abripi, & ad Panegyres transportari, corporibus interim sine sensu, motu, & ratione, domi vel alibi relictis. Nixi partim exemplis Cardani, & patris Praesantj; partim confessionibus infantum & Sagarum; ( utpote Sagar, a Neopolitano exploratae, ut & vetulae Burdegalensis, quas inunctas, concidisse, reveraque corporibus manentibus, avolasse, refert Bodinus ) partim auctoritatibus, Platonis nempe, Bodini, ut & Baldvini. Illis inquam adstipulari minime habemus. Est enim primo anima actus entelechialis corporis, qui totum illud & minima ejus pervadens, illi sese ita immiscet, ut cum corpore, unum quoddam perse faciat, nec ab illo, nisi interveniente morte separabilis sit. Jam posito animam tolli, consequens est, citra mortem tam fidum socium abstractum, qui tamen non nisi mor.

morte divellitur. Deprehenduntur. *Secundo* in ejusmodi corporibus vitalia exercitia, sed unde hæc, absente principio vitali! Alios porro etiam Magos, sæpe inter dormiendum vehementius commotos, quasi cum insigni conflētarentur dolore, notatum ab iis, qui ejus rei cognoscendi studio, integras noctes juxta assederunt. Ponamus *Tertio* animam abripi extra corpus, necessum est, ut habet *Johan Adam Ostander* abrepta ea, corpus emori, ac in cadaver abire; ponamus etiam egreslam regredi ac occupare corpus, necessum est corpus iterum vivificari, ac resurgere. Atque si hoc, erit non tantum abreptio, sed & reductio & per consequens resuscitatio, creaturæ tribuenda. reclamante tam scriptura, quæ soli DEO corporis resuscitationem passim venditat, reclamantibus etiam miraculis, virtuti non finitæ, sed infinitæ, tanquam certissima Divinitatis argumenta tribuendis.

## §. III.

Nec movent nos exempla, confessio-  
nesque modo adductæ. Cum sint  
illæ, hominum *partim* suspectorum, *par-*  
*tim* firmato iudicio non pollentium,  
*partim* dementationibus, ac ludibriis  
Satanæ expositorum; eaque propter  
non promiscue admittendæ, sed ulte-  
riori disquisitioni reservandæ. Si enim  
nulli melancholico, vel deliro, etsi  
juranti credendum, cum vitiata phanta-  
sia varia absurda cogitationi eorum  
ingerat. Sic fuit *senex* quidam nobi-  
lis, quandoque à sede subito exiliens,  
ab hostibus se impeti credens, quos  
abreptos, sua quidem opinione, retro  
se in furnum confertim intrudebat.  
*Alius* se totius mundi Imperatorem &  
Monarcham credebatur. *Heracleon* de quo  
Barclaius in Arg: lib: I. c. 13. vitio confectæ  
mentis lapsus, se *Poliarchum* jactabat, &  
pro eo ad Regem deductus, veniam ad  
genua Regis procumbens, petit, quia  
ipse *Poliarchus* esset. Si inquam talibus  
cre-

credendum non est, cur hic tam faciles nos exhibeamus, ut quæ *Magi* & *Sage* fatentur credamus. Est enim hoc hominum genus melancholicum plerumque, DEO diffidens, impium, illicitè curiosum, perverse etiam in religione institutum, ac lubricæ fidei, adeoque tale, ut Dæmonis suggestionem tentatum facile obediat. Hinc & hoc potissimum ab eo impetitur, huic suo loco, & tempore, quibuscumque modis potest insidiatur, & ut cujuscumque animi, ex eo genere, studia ex peculiari- bus indiciis cognoverit, peculiari etiam aliqua ratione eum adoritur, cogitatione imaginationeque corrupta, varia ipsi ut credat in mentem ingerendo. Unde fit, ut homines vera esse rati, cuncta ab eo suggesta, revera ea existere sanctissime tandem existiment. Sed fusius hoc negotium explicandum. Est homo *fascinationis Diabolicæ* objectum, in quem Dæmon agere potest, quem etiam fascinat Diabolus, aliquando totum, nimirum quia animam

& corpus, aliquando secundum partes, *vel* animam nempe *vel* corpus. Animam autem hominis, & quidem qua intellectum, quem præprimis hujus loci esse judicamus, ita fascinat; ut efficiat apprehendere intellectum ea, quæ non sunt, & non apprehendere ea, quæ sunt. Idque tam mediate quam immediate procurat. *Mediate* fascinat, *vel* phantasmata hominis naturalia & præsentia, jam per morbosam corporis dispositionem, jam per externorum sensuum illusionem, confundendo & decipiendo, *vel* phantasmata nova, eaque falsa & absurda phantasiæ, & consequenter intellectui suggerendo. A phantasia enim dependet intellectus, licet non quoad *actum*, tamen quoad *objectum*, juxta illud Philosophorum: *Oportet intelligentem speculari phantasmata.* Fiunt autem phantasmata illa falsa, *vel* quia falsæ species phantasiæ offeruntur, quod fit, quando deceptis sensibus externis, species falsæ, sensibus internis cognoscendæ offeruntur,



tur, per quas intellectus ipse fallitur, vel quia species veræ, in falsa phantasmata abeunt, quod fit, quando propter vitiosam cerebri dispositionem, species à sensibus externis perceptæ depravantur. Quorum utrumque Dæmon efficere potest, nimirum & sensus fallere, & cerebri dispositionem turbare. *Immediate* autem Dæmon hominis afficit intellectum, dum absque media phantasia aut phantasmatibus, species intelligibiles eidem *immediate* proponit & imprimat. Velut prolixè simul ac doctè demonstrat Joh: Christ: fromman *in tractatu singulari de fascinatione*. Nec intellectum tantum impostor ille infernalis stuprat, quin eidem fato ipsam etiam phantasiam exponit, eam partim *immediate*, partim *mediate* per objecta scilicet *medii & organi inordinationes* fascinans; observante inter alia, etiam hæc modo nominato auctore. Mire autem *Lamiarum*, tum vigilantium, tum dormientium phantasiam agitatur *Dæmon*, præsertim translationis ad conventicula

veræ



veræ opinionem iisdem impressurus, alto eas somno sepelit, iisdemque dormientibus magnam agendorum seriem, & varia objecta, velut ad vivum expressa, distincte & accurate per insomnia subicit, ut somno excusso, de commensationibus, saltationibus, congressibus cum Dæmone splendide nugentur & phantastica omnia, actionis & essentiæ veritatem habuisse constanter & firmiter credant. Hujus rei memorabilem historiam tradit Godelman *Lib: 2. cap: 4.* *Mulier quedam Megapolitana, cui Nobili diu & fideliter inserviens, a veneficis paulo post crematis forzilegii accusata est, & quod aliquoties cum ipsis in monte Bruclerorum fuerit. Id Dominus, qui aliquoquin fæminam, propter sedulam rei domesticæ administrationem amabat, agre primum tulit, post vix adduci potuit, idem ut crederet. Tandem cum famulam ea de re alloqueretur, respondit stolidam, confessionem de migratione in montem Bruclerorum veram esse, in eâ sequente nocte, necessario cum reliquis eo ipsi transvolandum esse. Nobilis noctu adjunctis sibi Pastore &*

domesticis, mulierem diligentissime in conclavi  
 custodit, exploraturus utrum transvolare ve-  
 lit. Sed ecce, postquam unguentis corpus  
 suum illeuit, in profundum somnum ita in-  
 eidit, ut nec illa nocte, nec sequente die ex-  
 citari potuerit. Altero autem mane interro-  
 gata, respondit, se in montis Brueterorum  
 conventu, cum reliquis beneficis revera fuisse,  
 nec aliud sibi persuaderi stolidam passa est.  
 Lercheimerus in Bedencken von Zau-  
 bereij/ Doctorem Joh: Geilerum a Käst-  
 fersberg Monasterii Argentoratensis Pa-  
 storem, historiam recitasse sequentem  
 scribit: Pastor quidam pro concione edixit,  
 strigiportium non vere & corporaliter se-  
 phantastice saltem per insomnia fieri, &  
 per ea sibi Lamias imaginari, se ad aliena  
 loca deportari, singularia ibi videre, audire  
 & efficere, quod aliis postea referant, ac com-  
 mendent. Vetula quaedam contemptum artis  
 Magice, egre ferens, Pastorem e templo ex-  
 euntem alloquitur, & se si secum domum  
 abire non fuerit dedignatus, strigiportium  
 somnium non esse, reipsa demonstraturam  
 Pastor euntem comitatur. Hæc macra (ca  
 m

inno imposita infidet, & unguento se inungit.  
 Mox obdormit, & inter dormiendum se com-  
 movet, manus quoquoversum jactat, & in al-  
 tum quasi avolatura tendit, tumultuatur, salit,  
 quasi ad saltandum composita. Hæc tamdiu  
 continuavit, donec e maestra, quam inverterat,  
 in terram procidit. Hic ubi aliquamdiu ja-  
 cuit, & se commovit, evigilans, & in pedes  
 se erigens: ita sane inquit, vidisti me evolan-  
 tem & redeuntem. Imo vel quasi, ait Pastor;  
 in maestra aliquamdiu degens dormivisti, post-  
 hæc in terram delapsa, ibi quoque ad breve  
 tempus, donec somno redires jacuisti. Ita ve-  
 tula vana persuasionis convicta; Pastor vero  
 in sua opinione strigiportium nullum esse con-  
 firmatior evasit. Quæ hæctenus allata  
 phantasiæ Sagarum à Dæmone fa-  
 scinatae sunt argumenta, quibus tamen  
 non eorum probamus lententiam, qui  
*Lamias* ad solennia sua conventicula  
 transportari, & *realiter* unquam transla-  
 tas fuisse, obstinate negant; *Sagas* enim  
 quandoque *revera* & *personaliter* transfer-  
 ri, quandoque autem istarum conven-  
 tus, illusiones esse Dæmonum omnino

statuimus. De quo etiam inter *Doctores* jam convenit, uti in sequentibus videbimus: id ergo tantum his nos evincere speramus; animas scilicet *Sagarum* & infantum *revera* absque omni corporum consortio, ad *Panegyres Satanicas* non egredi, quin hæc profunda potius simulatione Diaboli fieri, soporatis hominibus varias species variaque phantasmata imprimentis. Hinc *Doct: Joh: Adam: Osiander the: 45.* qui ex experientia adducuntur *infantes*, non moriuntur, sed dormiunt, & longe credibilius est, Diabolum exhibere illorum phantasia ejusmodi species, quam animam abripi, & eo loci deferri, quo putant se fuisse; potest nempe Diabolus sese in hominum mentes insinuare, & quas vult notiones, DEO permittente, ijs imprimere, & quasi consignare. Sicuti & *Cardanus lib: subtilit: 18.* affirmat. In *ecstasi* porro sæpe *Sagas* Dæmon rapit, ubi sensuum internorum & externorum organa ita fascinat, ut anima a functionum exercitio, vel in totum quandoque ferietur,

quan-

quandoque autem intellectus ac phantasia varias à Dæmone accipiat formas, ut homo putet se ibi esse, ubi non est, & vere patrare, aut pati, quod non patrat, nec patitur. Sic de Magis Lappis sequentia tradit Olaus Mag: Lib: 3. Hist: sept: cap: 18. Si quis peregrinus, cupit de suorum conditione, certi quid cognoscere, præstant ut intra viginti quatuor horarum spatia resciscat, quid cum suis agatur, si vel trecentis milliaribus absint, hoc modo. Incantator postquam usitatis ceremoniis Deos suos compellavit, subito collabitur, & exanimatur, quasi extincto illo, revera excedat à corpore anima. Neque enim aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vita aliquis sensus aut motus videtur. Horis viginti quatuor elapsis, revertente spiritu ceu e profundo somno, cum gemitu expergiscitur exanime corpus, quasi revocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Postea sic restitutus, ad interrogata respondet, & ut fidem faciat percontatori, recenset aliquid, quod agnoscat ille, & certo sciat in edibus suis aut cognatorum fuisse. En astutias Satanæ! Hæc autem





dicat vocari ecstaticum, quo vires animæ  
ita sepultæ sunt, ut videatur homo mor-  
tuus, non ita in rei veritate mortuus.

#### § IV.

Demonstrata abreptionis animæ,  
ejusque solius absque omni corporis  
confortio, ad *Panegyres* Satanicas trans-  
lationis impossibilitate, videndum quid  
de totius compositi, certis ritibus ini-  
tiati transmigracione auctoribus pla-  
ceat, quidve non. Controversa autem  
& dissentionis plena, inter eos, qui hæc  
*Sagarum* portenta tractant, ut est res,  
*revera ne, ad illos, de quibus conspirans om-  
nium oratio est, conventus avolent? an vero  
in quiete, ubi exercent vanas nocturna inso-  
mnia mentes, adesse sibi videantur?* Ita in  
tres classes circa hoc negotium abeunt  
*Doctores*. Quorum quidam translatio-  
nes has semper *phantasticas* esse asserunt;  
quidam has *reales ac re ipsa tales* existi-  
mant; quidam autem jam *phantasticas*,  
jam etiam *reales* faciunt. Primam sen-  
tentiam sequuntur à *Delrio* citati au-

ctores; Mart: nempe de Arl: Canonis: Joh: Baptista à Port: lib: Mag: Naturalis 2, Alciatus, Duarenus, Æroditus, Michael Montanus, Johan: Salisburiensis, Lutherus, Melancton, Qui animi cogitationi ac illusioni Diabolicæ hæc adscribentes cum Godelmano ex Wiero dicunt: *Lamias* virtute unguentis in profundum somnum incidere & Diabolum in somno earum imaginationi talia phantasmata, de volatu, choreis imprimere & in tali phantasmate, eas donec evigilent, detinere, corpore interim in lecto aut cubili quiescente. Suppeditat enim illis, ait idem, fraudulentus ille Magister naturaliâ quedam pharmaca, quibus ubi se inunxerint, confricuerintque per fornacem, mox se evolaturas, ac per aerem longe lateque evagaturas ad tripudia, dulcissima symposia, concubitus & gratissima rerum spectacula, confidunt: que tamen per insomnia ipsis ingerit mille artifex, ubi ab unctiōne somniferi omnino unguenti, in profundum somnum delabuntur. Quibus auctoribus argumentis, parum urgentibus fisis haud accedimus. Sint enim licet sæpe qui a Dæmone sensibus exter

ternis internisque vinculis, cogitatione etiam læsa, vel vigilantes, vel dormientes illuduntur. Qveat etiam licet *Diabolus* læsis corporis viribus, & animi facultatibus, plura homini persuadere, ut in antecedentibus evictum. Quid aliud hinc inferre fas est, quam posse *Sagas* decipi: semper autem illas falli, hinc non sequitur. Extent etiam passim deceptionis Diabolicæ exempla, tam quæ hanc ad *Panegyres* transportationem, ut in superioribus monstratum, quam quæ alios quoque calus, velut temporum annales replicanti ignotum esse nequit. Inventa licet sæpenumero etiam corpora domi jacentia, nec loco mota, ut de variis à *Grillando* narratum; quo spectat illud in vita D: *Germani* de mulierculis convivantibus, ut videbantur, & tamen domi repertis dormientibus. His tamen nihil amplius probatur, quam deceptas aliquando has mulierculas; at semper ita fieri vix probatur. Quin

po-

potest etiam & solet Dæmon, *Strige* ad conventum profecta, ne maritus expergiscens forte, eam abesse deprehendat, maritum decipere; jam res quasdam supponendo, personasq; dormientibus adumbrando; vel interea alium Dæmonem in forma succubi, ad latus maritorum adjungendo, qui loco uxoris est, qui etiam si opus fuerit, ad omnia absentis conjugis officia in toro conjugali se promptissimum exhibet. Quod exemplis probant *Remigius*, Paul: *Grillandus de Sortil*: Quibus similia sunt, quæ in actis judiciariis *Bertrandus* habet. *Eller* uxor *Decani in Ottingem*, infantis culcitram: *Seichen Maja Speirchen* scopas supposuisse memoraverunt, postquam essent nomen sui Dæmonis præfate, sicque maritis fucum sæpe fecisse. *Homburgii Maria* uxor *Sutoris stramentorum fascem veluti ungvine infuscatum*, qui statim ac ipsa domum reversa esset, evanesceret. *Catharina* ipsum Dæmonem sua accubatione, ejusmodi vices aliquando gessisse declaravit. Quid autem de concilii *Aneyrani*, decreto habent.



bendum? unde sua etiam petunt, quasi in hoc jam olim decisum, *Lamias non corporaliter, sed phantastice tantum illusionem nempe Diabolicam, ad ea loca, in quibus se fuisse dicunt deferri, quisque ejus decreti sensus sit?* ex iis quæ Mart: Delrio *Lib: Disq: Mag: 2. quæst: 16.* nec non Joh: Conrad: Sbragmullern *Disq: 4. tractatus Stæcheolog:* colligi potest, quos vide.

### § V.

Habuit autem uti prima sententia suos patronos, ita & secundæ sese plures associant. Et in his Bodinus *lib: Demonol: 2.* Paracellus in *Philosoph: sua magna & occulta.* Scribonius in *Physiolog: Danæus, Franciscus, Joel, Cigogna,* ex Patribus his annumerantur *Clemens, Arnobius, Hegesippus* pluresque quorum mentionem Doct: Joh: Ad: Osiander in *thes: 46,* magici tractatus facit. Sed quo minus his, nihil præstigiarum hic intercedere opinantibus assurgamus; facit, quod sive *Magos,* sive *modum* ejusmodi transvectiones procurandi, si-  
ve

ve ipsum, harum auctorem *Diabolum* consideremus, causas sat habeamus credendi, quandoque & quidem sæpius illas transportationes præstigiatorias esse.

### § VI.

Ultimæ ergo sententiæ, quæ media est, quandoque *reales*, quandoque *phantasticas* esse has translationes statuens, cum *Remigio*; *Wiero*, *Alstedio*, *Delrio*, nec non celeberrimo nostro *Joh: Adam: Osiandro*, nos censemus subscribendum. Quia autem superior paragraphus quartus, translationes ad *Panegyres*, sæpe quidem *phantasticas* esse docebat; videndum igitur in hoc, quod & aliquando *reales* esse possint, talesque revera sint. Id fundamentis, tam ex *possibilitate*, quam *actualitate* translationis petitis, facientes. *Possibilitatem* quod spectat, eam *motio alieni corporis*, Intelligentiis in Pneumaticorum scholis, inter alias operationes assignata, evidentem reddit; nam præter *motionem inherensam*, quæ *Intelligentiæ* se libere ab uno

in aliud conferunt, gaudent etiam spiritus illi fortissimi *motione extrinseca*, quæ alia extra se posita corpora, ab uno in alium trajiciunt locum, vi a potentia se ipsas movendi, non realiter distincta, cum Intelligentiæ aliud movendo, seipsas, simul moveant, vel ad minimum impetum tantum imprimant. Quæ cum de Intelligentiis *ut sic* à Philosophis probentur, Quid obsit? quo minus possit etiam Diabolus corpus quoddam localiter movere, cum illo aerem pervium transire, ad terminum, ubi illud ipsum corpus existere atque collocare velit, & consequenter etiam *Sagas, Magos*, & ejus furfuris homines alios, ad *Panegyreos* loca transvehere. Quæ enim de Intelligentiis *præcise* dicta volunt Philosophi, ea malis bonisque communia putanda sunt. In quem etiam finem allegant plures exempla quædam e Sacris deprompta, utpote *Christi, Habacuc & Philippi*, interpretationibus licet maxime diversis. Et quidem quantum ad *Christum*

*stum* a Diabolo in sanctam civitatem  
 ejusque templi pinnam deductum, ac  
 inde iterum, in montem excelsum  
 translatum, censent alii, observante  
 Doct: Abrah: Calovio *in Annot. ad cap:*  
*4. Matthæi*, eam translationem ima-  
 ginariam fuisse, factamque *ut prestigiis*  
*oculis, animoque Christi, objectis*, crederet se  
 illuc deductum, etsi in deserto maneret.  
*Alii licet veram ac realem eam faciant,*  
*coactam* tamen volunt fuisse, adeoque  
 per modum *raptationis*, talem, cui sen-  
 tentiæ accedere videtur, etiam Baldui-  
 nus, *lib: 3: cap: 5. Cas: Consc:* præmil-  
 lis quibusdam, ita disserens: *Quin &*  
*ipso Christo Salvatore, Diabolus pro sua*  
*impudentia, suam probare ausus est poten-*  
*tiam. Eum enim ita permittentem, in pin-*  
*naculum templi, corpore suo transtulit, non*  
*pedetentim ducens, sed subito eum abripi-*  
*ens.* A quo in aliam sententiam non  
 abit Doct: Job: Adam: Osiander, in tra-  
 ctatu *Magie* talia passim insinuans, ut  
 exinde colligere possis, Christum ejus  
 sententia, vere à Diabolo abreptum  
 in

in pinnam templi; ac deinceps in montem translatum fuisse. *Alii* cum *Calobio* vere quidem hæc facta innuunt, *deductione* tamen potius, quam *raptatione per aerem*, hanc rem absolutam credunt. Hinc cautius etiam hic *Mart: Delrio* procedit, exemplo Christi translationem *Lamiarum* non firmans, cum & ipsi placeat, Christum non a *Dæmone* raptum, sed *ductum duntaxat*; & præeunte Diabolo, sequutum Christum uisse, & sic in pinnaculum & montem ascendisse. *Habacucum* autem capillo, in *Babylonem* ad *Danielem* translatum; ut & *Philippum* a Spiritu ex deserto in *Asotum* deportatum, quod attinet, ex his colligunt nonnulli, quod si Angeli boni ista præditi sint virtute, ut corpora de loco in locum transferre possint, consequens esse competere etiam *Diabolis*, potestatem in *Sagarum* corpora transportanda; idque quia *Diaboli* & *boni Angeli*, non *ratione essentia*, sed *ratione bonitatis & malitiae accidentalis* differant.



Alii autem ut *Ulyrius Molitor* male ab *Angelis bonis* ad *Dæmones* argumentari contendunt; eo quod Angelorum hac in re, longe major vis ac robur, quam Dæmonum sit. Nos cum alia suppetant argumenta, hæc ad præsens negotium roborandum non urgemus, quin reservamus, prout decet, iudicium de his superiori facultati, ad *actualitatem* translationis muniendam pergentes.

§ VII.

*Actualitatem* autem translationis, tot, non tantum *Sagarum* experientia, quæ vel *vise transportate*, vel inter transportandum *dejectæ repertæ* sunt, sed & *conventuum*, in quos quidam forte fortuna inciderunt, tam abunde probat, ut sine protervia & temeritate ab aliis dissentire nequeamus, licet autem plura nobis in præsens negotium exempla, auctores porrigant, sufficiat tamen nobis, vel unum alterumve modo, majoris lucis ergo, cuique experientiæ adscripsisse. Sic quantum ad *translationem*,

Et quidem determinate ad Sabbatha, nullum  
 autumamus exemplum magis planum  
 esse eo, de muliere quadam à Grillando sic  
 narrato; mulier quadam Sabiensis hanc pro-  
 fitebatur Diabolicam artem, de qua cum ma-  
 ritus suspicionem haberet, interrogavit eam,  
 pluries, quæ semper negavit. Maritus vero  
 in suspitione sua persistens, anxie veritatem  
 perquirebat: qui adeo astute se gessit, quod  
 vidit illam quadam nocte, se unguento quo-  
 lam ungentem; quæ unctioe peracta, vidit  
 illam celerrime, quasi avem recedentem, Et ex  
 superiore domus solaris, ad inferiora descen-  
 dentem. Illam maritus sequens ut videret  
 quo tenderet, amplius eam non vidit, Et  
 accedens ad portam domus, invenit eam clau-  
 sam. Quæ res magnam illi præbuit admi-  
 rationem. Die vero sequente iterum maritus  
 uxorem interrogat, quod anxie scire cupie-  
 bat, Et illa constanter, ut antea se nescire dixit,  
 maritus vero ut amplius negare mulier non  
 posset, aperte ei dicit omnia, quæ nocte præ-  
 terita illam fecisse viderat: deinde fustibus  
 illam percussit graditer, Et duriora minatur  
 verbera, nisi veritatem dixerit; quam si aperte

exposuerit, veniam se illi daturum promi-  
 fit. Mulier igitur se jam non celare posse  
 intelligens, veritatem aperuit, & veniam à  
 marito petiit; quam illi maritus hac condi-  
 tione indulfit, ut illum ad tales congrega-  
 tiones adduceret: illa vero ut veniam im-  
 petraret, facile petita promisit, & promissum  
 ex licentia Satanae implevit. Adductus igi-  
 tur ille ad locum, ubi ludisiebant, ludum  
 & choreas & omnia cætera contemplatus est,  
 & tandem ad mensam cum reliquis, ut vesce-  
 retur, sedens, cum cibos insipidos judicaret,  
 petiit sibi dari sal, quod in mensa deerat, &  
 quamvis iterum atque iterum petiisset, nun-  
 quam illi dabatur, tandem cum post impor-  
 tunam petitionem, prolixamque expectatio-  
 nem sal illi daretur, dixit: nunc laudetur  
 DEUS, quoniam jam venit sal. Quibus  
 verbis prolatis, Demones, quoniam laudes  
 DEI audire refugiunt; statim recesserunt,  
 & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusque  
 extinctis, mansit ille solus nudus, quousque  
 mane factò, vidit quosdam pastores, quos  
 interrogavit, quenam esset illa patria, in  
 qua erat, illi vero responderunt, esse agrum

*Beneventanum in regno Neopolitano. Qui locus distabat a patria viri, per centum milliaria, ob quam causam, licet dives esset, coactus fuit per viam mendicare, ut ad domum suam redire posset. Ad quam postquam pervenit, statim uxorem suam ob Læmia crimen accusavit, & totam rem gestam ut narrata est coram iudicibus exposuit. Qui rem totam plene, ut oportebat exami- nantes, vera esse omnia, quæ diximus in- venerunt. Quæ etiam mulieris confessione confirmata sunt. De Saga inter depor- tandum demissa inventa, Paulus Gril- landus lib: 2. de fortibeg: habet; referens anno 1524 sibi ut inquisitori oblatam quandam Lucretiam; quæ dum ex con- gregatione ludorum domum deporta- retur, & sub auroram, matutinæ cam- panæ pulsus, quo ad orandum popu- lus vocatur, fuisset auditus, subito il- lam à Dæmone vectore, prope fluvi- um, in agro spinis obsito fuisse dere- lictam. Forte juvenis, ei benè notus illac transibat; ergo eum misera no- mine proprio advocat. Juvenis videns*

totam nudam, accedere formidabat. Persistit illa blanditiis allicere, tandem appropinquavit, & quæsit habitus & moræ eo loci causam: illa primum alia omnia pertexere, & multa mentiri, donec juvenis incredulus, negavit se ei opem laturum, nisi vera fateretur. Illa fidem secreti stipulata, confitetur quod sibi accidisset, & qua ex causa. Juvenis eam secreto domum suam perduxit, & multis ab ea muneribus donatus fuit. Sed tandem fidei datæ immemor rem uni atque alteri narravit: sic paulatim sparso rumore & mulier capta, & juvenis testimonium perhibere coactus, hæc omnia *Grillando* narravit. Huic simile protulit *Bartolomæus Spineus*, dum puellam ajebat, quæ cum matre *Bergoni* morabatur, inventam fuisse nocte *Venetis* in thalamo sui affinis. Ad convivia autem à viatoribus spectata, eorumque loca deinceps demonstrata, referendum arbitramur, quod ab *Gvilhelmo Neubergerensi* in hunc modum traditur: *In provincia DEIrorum res mirabilis contigit,*



tigit, quædam à puero cognovi. Est vicus aliquot à mari Orientali milliaribus distans. Ex quo vico rusticus aliquis, ad salutandum amicum in proximo vico commorantem profectus, multa jam nocte, minus sobrius remeabat. Et ecce de proximo tumulto, voces cantantium audivit & festive convivantium. Miratus quinam in illo loco solennibus gaudiis intempestæ noctis silentium rumperent, hoc ipsum curiosius inspicere voluit: vidensque in latere tumuli januam patentem, accessit & introspexit, viditque domum amplam & luminosam plenamque discumbentibus, tam viris quam fœminis, tanquam ad solennes epulas. Unus autem ministrantium cernens stantem ad ostium, obtulit, ei poculum. Quo ille accepto, consulto noluit bibere, sed effuso contento, & continente retento concitus abiit, factoque tumultu in convivio pro sublacione vasculi, & persequentibus eum convivis, pernicitate jumentis, quo vehebatur evasit, & in vicum cum insigni præda se recepit. Denique hoc vasculum, materie incognite, coloris insoliti, & forme inusitate, Henrico Seniori Anglorum Regi pro

munere oblatum est: ac deinde Davidi Scottorum Regi, contradictum annis plurimis, in thesauris Scotia servatum est, & ante aliquot annos (sicut veraci relatione cognovimus) Henric: II illud aspiciere cupienti resignatum à Rege Scottorum Gulb: Huc facit & id, quod non testium tantum dictis clarum, sed & clara luce gestum Remigius lib: 2. *Demonol:* à fœmina *Nicolaea Langbernhard* refert; quæ aperto meridie iter faciens, advertit in arvo finitimo, chorum in orbem saltantium, tam virorum, quam fœminarum: verum quod præter solitum aliorum hominum id faciebant, ea attentius aspiciens, vidit caprinis & bubulis pedibus deformes una intermixtos, unde illa metuens, salutare nomen JESU inclamat, quo facto evanuerunt omnes, præter unum *Petter Gros Petter* nomine, cui ocius in aërem sublato, penicillum instar penicilli furnarii excidere visum, qua causa cognita, manifestis etiam factis sociis, hujus rei gravissimum argumen-

tum

tum hoc fuit, quod locus, ubi in orbem choreæ illæ agitatae, postridie monente Nicolæa, circo impressus apparuerit. Nonne hæc satis manifeste *actualitatem conventuum* probant? An hæc somnia dicenda? An ipsius *Peters Gros Peters* penicillum etiam somnians eo delatum, somniasse *Nicolæam*, & somnii ægrimonia triduo lecto affixam? Somniasse testes hos omnes hæc solennia, & meræ vi imaginationis agro impressa vestigia, tam pertinaci impressione? An choreas duxisse docilia armenta *Lotharingico* in solo.

#### §. VIII.

Nec alienum à dictis docet, corporalis illa *Sagarum*, ad alia etiam loca remota translatio. Sic de *Simone Mago* accepimus, eum coram *Paulo*, alarum Dæmoniacarum remigio in aërem sublatus, volitare visum; relatum pariter de *Job*: quod dā *Theutonico*, Sacerdote Halberstadiensi, quod Magia clarus & famosus, à Satana medio intempestæ noctis silentio, in

tria distincta loca ( ut puta Halberstadtium, Moguntiam, & Colloniam Agrippinam ) per aerem deductus fuerit, in quibus ternas missas in festo nativitatis legi solitas celebraverat. Constat porro experientia, *Sagas* in locis sæpius disitis convenire, sua de rebus in posterum efficiendis, ibi conferentes consilia; velut de *Muliere vidua*, inquit Balduinus Ronseus. *Epist: Medic: 50.* quæ à curiosiori servo deprehensa est, sæpius statim ac quieti se tradidissent domestici, in stabulum ad præfixum locum, venire, ac contiguum fœnile exporrectis manibus præsepi apprehendere, eoque ad conventicula digredi; qui & ipse servus eandem aleam semel ad exemplum heræ pertentare volens, raptus in aera defertur in oppidum *Wick*, in abditum & subterraneum specum, ubi heram cum cætu maleficarum de maleficiis conferentem reperit. Si autem *Sagæ* minoris voluptatis captandæ causa, in remotissima lo-

loca vere translatae fuere, magis sane probabile est, illas quoque ad sua *Sabbatha* longe majoribus gaudiis referta transportari. His accedit *unanimes Sagarum vox*, qua unanimiter, etiam in rogo, ubi fictio non profutura, confitentur *se corporaliter nonnunquam ad sua Sabbatha transportari*; addentes etiam hoc, quod praepriis notandum, se quandoque *realiter*, quandoque *phantastice* translatas esse. Quae confessio, si delusoria & phantastica foret translatio, tam una & consentiens haud esset. Nec haec Sagarum tantum confessio est; fatentur quippe eadem, etiam alii, a Magico quidem crimine immunes, sed curiositate tamen, vel inconsiderantia ad talia *Sabbatha* deducti, ut exemplis in hanc rem a Nicolao Remig: *lib: Demonolatrie* i. *Mart: Delirio*, *Bodino*, allatis, pluribus illustraremus, ni ad alia nobis maturandum esset.

#### §. IX.

Sed his susque deque habitis, viden-



dentes multi cæcutire malunt, & rem  
 ut ut intricatam, probabilem tamen,  
 excæcata rationis nubecula obtuscare,  
 quam veritati palmam dare. Et certe  
 uti nihil tam absurdum menti nostræ le-  
 se insinuat, quod non aliqua in speciem  
 saltem ratione probabili confirmari que-  
 at, ita nec hic, contrariæ sententiæ ap-  
 plausores fundamentis, ut volunt sunt  
 destituti. Nostrum ergo jam erit, affir-  
 mativa in superioribus satis fuscè proba-  
 ta, potissima quæ pro sua opinione sta-  
 bilienda, adversæ partis defensores in a-  
 renam deducunt paulo altius perpende-  
 re, & quid roboris eis insit, quidve non  
 ad clarissimorum præceptorum ductum,  
 paucis, sed candide significare. Et quidẽ  
 primo iis tantopere non dimovemur,  
 ut a recepta sententia recedamus; qui-  
 bus dicunt, *Diabolo scilicet: tanquam sub-*  
*stantias incorporeas, non posse molem corpo-*  
*ream ita movere, nedum Sagarum corpora,*  
*cum gravia sint, subito in superiorem ac-*  
*rem tollere, & ad loca longe diffita, cele-*

riter præsertim, ac intra tantillum temporis  
 spatium transportare. Evidens enim est,  
 Diabolos spiritus fortissimos esse, quo-  
 vis corpore, humano, etiam Gigan-  
 teo robustiores. Hinc B. Gregorius  
 lib: 34. Moral: cap: 17. de potestate Dia-  
 boli differens: Potestas ejus, inquit, su-  
 per terram cunctis eminentior perhibetur,  
 quia etsi actionis suæ merito infra homines  
 cecidit, omne tamen genus humanum, na-  
 turæ Angelicæ conditione transcendit. Quam-  
 vis enim interne felicitatis beatitudinem  
 perdidit, naturæ tamen suæ magnitudinem  
 non amisit, cujus adhuc viribus humana  
 omnia superat, licet sanctis hominibus me-  
 ritorum suorum dejectione subjaceat. Et  
 quia possibilitatem suam in uno vel al-  
 tero, utpote Simone Mago & Apollonio  
 Tyaneo monstrarunt, cur non idem  
 possent in cæteris præstare. Neque et-  
 iam cum Wiero de Præstig: lib: 3. cap: 12.  
 credimus Demones sine corporibus as-  
 sumptis, corpora per aërem gestare;  
 in assumpta enim forma comitatur  
 Demon Sagas, nunc in forma hirci,  
 nunc

nunc canis, nunc felis, & similiarum illis sese adungens. *Gravia etiam licet sint corpora Sagarum, sit etiam motus iste celerissimus, non tamen impedit illa, vel gravitas, vel celeritas motum, longe majori existente vi Dæmonis moventis. Quin Angelus, ut verbis loquar Mart: Delrii, determinatam sibi que notam, suis viribus non majorem molem, ea celeritate & tractu, quem & agilitas Angeli, & rei mote natura permittit, eo solo movere potest, quod in assumpto corpore, secundum substantiam præsens sit, sicque præsens corpus illud impellat, & mediante illo, aliud corpus sibi contiguum moveat, & debebat. Sed nec id alicujus ponderis est, quod ingerunt, scilicet: Dæmoni nullam esse causam, talem conventuum frequentiam potius instituendi, quam ut hæc, vel seorsim cum singulis agat; vel etiam ipsorum imaginationi talia imprimat, animos occupando, & ad lubitum phantasmata formando.* Multa enim hinc ille commoda percipit; quippe qui per has Panegyres, mancipia sua

sua *primo*; vehementius in malitia fo-  
 vet; *secundo*, hoc pacto criminis par-  
 ticipatione, singulorum peccata aggra-  
 vat; *tertio*, talibus illicibus, & variis  
 illic factis inductionibus plures facilius  
 instigat; *quarto* per multitudinem,  
 mutua imitatione ad malum audacio-  
 res facit, DEI, hominumque timorem  
 tollendo; *quinto* difficiliorem illorum  
 conversionem reddit, quo pluribus se  
 testibus *Dæmoni* addixerunt, & actuum  
 frequentatione, quasi quodam habitu,  
 occaluerunt. Licet porro *Dæmon* animos  
 occupare, ac à DEO alienare studeat; oc-  
 cupato tamen animo, corpus non dimit-  
 tit, cum etiam per corpora animos  
 petat; & quamvis translatio illa, ad ani-  
 mos leducendos necessaria non sit, præ-  
 stat tamen eam observasse, ob rationes  
 modo inculcatas. Obtendunt dissentien-  
 tes porro *loca*, per quæ transferuntur;  
 existimantes impossibile esse, per *rimas*  
*angustissimas*, *fenestras*, *januas clausas*, per  
 quas *specie murium*, *felium*, *locustarum*  
*transire videntur*, corpora illa absque dimen-  
 sio-

*sionum penetratione naturaliter impossibili per-*  
*transire posse.* Verum ut ut alicui dubi-  
 us videri possit modus, quo hæc fiant,  
 quia tamen res vera est, & exemplis fir-  
 mata, nolumus cum illis ab ignorantia  
 modi, ad negationem rei procedere.  
*Secundo* sicut species illæ, in quibus per-  
 duci se *Sagæ* fatentur, præstigiolæ sunt,  
 ita quoque angustia illæ, per quas  
 transire *Sagæ* dicuntur, quandoque præ-  
 stigiolæ esse possunt, miscenturque pu-  
 tamina baccis, falsa veris. Aperit po-  
 tius ut loquitur *Doct̃or Job: Adam: Ost-*  
*ander,* præstigiator ille fenestras & ja-  
 nuas latentes, ut scilicet putent se trans-  
 ire, cum tamen non penetrent, sed  
 per ostium apertum intrent, vel fissu-  
 ras & rimas dilatate, dirumpere, vel  
 alio aliquo modo laxare potest, &  
 postea iterum compingere, vel modo  
 quodam nobis ignoto, viam suis devo-  
 tis parare. Denique realem illam trans-  
 lationem non esse, vel ex inde consta-  
 re dicunt; *Quod tibi in illis conviviis*  
*non sint reales, non fatient, sed mani vento*  
de



deludant, ut convivia illa vere Heliogabaleas  
 cenas vocare possis, Imò omnia exaudito  
 solum nomine JESU in istis conventibus  
 evanescere, atque sic ludibrium demonstrare.  
 Sed tantum abest, ut cibos in istius-  
 modi conviviis appositos, semper præ-  
 stigosos dicamus; nam ut cætera, quæ  
 his accidunt, non omnia mendacia  
 sunt, sed quædam vera, verbi gratia, ve-  
 stes, pocula, quæ secum domum defe-  
 runt; uti vinum quod bibunt, non sem-  
 per est fictitium, sed quandoque ve-  
 rum; cum cellas subeant, & ea illis de-  
 trahant; ita & cibi non semper præsti-  
 gie putandæ, sed quandoque solidi ha-  
 bendi. Quod autem dicantur nomine  
 JESU in clamato cessasse omnia, hæc facta  
 credimus, cum Doctore Joh: Adam: Osian-  
 dro, non per umbrarum evanescentiam, &  
 specierum sublationem, sed per celerrimam  
 asportationem, oculorum fascinationem, imò  
 quandoque quorundam relictionem; cum  
 scilicet illi qui tales conventus adeunt,  
 vel forte fortuna illis sese immiscent  
 vel ex vigilibus, vel ex viatoribus,

quandoque pocula, quæ relicta fuerunt  
 apportarunt Magistratui vel sibi seruarunt.  
 Plura aduersariorum argumenta exami-  
 nando persequi, breuitas prohibet; qua-  
 re missis illis, ad ea exponenda, quæ cir-  
 ca hanc materiam supersunt, veniemus.

## SECTIO TERTIA.

*Ritus circa conventus observandos, solennia,  
 nec non tempora & loca conventuum ex-  
 ponit.*

### §. I.

Instituuntur autem hi conventus & Syna-  
 gogæ, ad quas non semper in mente  
 aut apparentia, sed quandoque in vera  
 & naturali forma Sagas accedere, doctis-  
 simorum tam Theologorum, quam juris-  
 consultorum, & Medicorum placitis con-  
 formiter diximus, hoc potissimum  
 modo & ordine. Videlicet primum per  
 unum aut aliquot dies, ante futuram  
 congregationem, vel ipse tanquam  
 Preses collegii, vel per *Demonem* ad  
 cuiuslibet Sage custodiam constitutum,  
 quem

( quem blandis cognomentis ( ut *Martinelli* aut *Magisteruli* pro lubitu *Satanæ* honorare coguntur *Saga* ) vel per alios *Magos* & *Sagas*, illis denunciatur, ac intimatur, qualiter tali nocte & tali hora se præparent ad veniendum ad ludum. Rite sic evocata, quod si quædam justam causam impediendi, quo minus conventui interesse valeat prætexat, ea ipsa auditur, dum modo vera & excusabilis causa sit. Alioquin si fingeret causam habere *Saga*, quæ nulla esset, ipsa quidem non deferretur invita, sed remanebat in domo sua, nihilominus in pœnam mendacii, interim à *Dæmone* in mente & in corpore, maximis & continuis doloribus ac ægrotudinibus adeo miserabiliter vexata, ut nihil penitus quietis habens semper tribularetur, & omnia quæ ipsa interea ageret, evanescerent, & perirent in fieri. Et ex his malis non evadebat prius, quam peccatum confessum, etiam jurejurando promitteret, se in posterum non recusaturam accedere. Ut ex *Mart: Delrio*, loquitur

Doct: Joh: Adam: Osiander *Thes: 50. tractatus de Magia.* Cum vero promitteret se accessuram, statim adveniente nocte & hora, voce quadam à *Damone* evocata, quæ sic evocata mox sumit pyxidem unctiois, corpus suum in quibusdam partibus liniens, quo linito exit à domo inveniens *Magisterulum*, jam in *hirco* jam in *canis*, jam in *tauri* vel *suis* forma illam expectantem; super quo nuda plerumque manibus certa ratione applicatis, hirco per aërem ascendente equitat. Quod autem *vestibus spoliata* accedant, id sane turpi *Dæmonis* fraude fieri certum est, (ut scilicet eo facilius libidinis incendium in illis creet) qui etiam illis persuadet, eas conventiculis interesse non posse, nisi corpus suum nudum, unguento ex *adipe felis, canis, asini, lupi*, & potissimum ex *pinguedine infantum ante baptismum necatorum*, confecto illinant, id propterea illis solum persuadens, ut ad quam plurimas infantum cædes eas alliciat. Ac ne forte una ab aliis unguentum, quod prima vice sal-

tini procedit, sæpius mutuo accipiat, necessarium esse dicit, ut ipsamet illud sibi ex infanticidio comparet. Adeoque miseris illis imaginatur, *vim translaticivam* huic unguento inesse, quod tamen revera nihil ad delationem confert, aut si certe aliquid confert, eatenus id efficit, quatenus per id sensus corporis consesepulti jacent. Et licet eas absque unguenti usu transferre posset, quod & sæpius factum, eo tamen uti mavult, *tam* propter causam memoratam, *quam* ut unguentorum inunctione sensum obstupesciat membrorum, *in Sagis* quæ *vel* timidiores *vel* delicatiores sunt, ad horribilem illum Satanæ contactum in corpore assumpto tolerandum.

## §. II.

Sed ut eo unde digressi sumus, revertamur; sic inuncta *Saga*, solet plerumque *verbis*, *ceremoniis* etiam quam plurimis præmissis, insidens *jam* animali; *utpote* vel hirco, vel tauro, vel sui, vel cani, *jam* homini etiam truculento, *jam*



arundini, furcæ, scopis, baculis, sed incantatis, aliquando etiam unctis deferri; Sic inquam solent a *Demone*, ad ludum, ipsis dictum, *bonæ societatis* brevissimo tempore devehî, ibique ubi ignis ut plurimum accensus est teter & horridus suaviter deponi. Ibi *Sagis* ad *Comitia* translatis, primum omnium, *Cæcodæmon*, conventus *Præses*, in folio forma terrificâ, ut plurimum hirci vel etiam hominis tetricosi & horridi quidem, sed magnifice induti sedens, conspicendum se præbet. Ad hunc *Sagie* Majestatem ipsius veneraturæ accedunt, eum non uno sed diversis modis adorantes, adeoque *interdum* complicatis genibus supplices; *interdum* obverso tergo stantes; *interdum* cruribus etiam in altum jactis, nec capite in anteriorem partem prono, sed resupinato, adeo ut mentum cælum respiciat. Tum candelis piceis oblatis, vel umbilico infantili, in signum homagii, eam in posterioribus osculantur. Peracta sic adoratione sacrificia fieri solent, quibus interdum, aut

libe-

liberos suos Diabolo offerunt, & occidunt; aut semen ei profusum dicant; interdum communione sumptam *sacram hostiam*, in ore asservatam, atque extractam *Demoni* oblatam, coram eo pedibus conculcant.

§. III.

His & similibus abominationibus execrandis commissis, mensis facie vel aperta vel larvata assidere incipiunt, & convivari de cibis, quos vel singuli attulere, vel quos *Demon* suppeditat. Solent autem diverse esse mensæ, cibis nonnunquam delicatissimis, nonnunquam valde insipidis & insulsis onustæ, quibus pro dignitate & opibus singuli tractantur convivæ. Aliquando suus cuique *Demon* assidet; aliquando Malefici, ex una parte, suus cuique *Demon* ex adversa. Nec mentæ sua deest benedictio, & gratiarum actio, cœtu hoc digna, verbis constans plane blasphemis, quibus ipsum *Beelzebub* creatorem, datorem & conservatorem omnium profitentur.

§. IV.

## §. IV.

Absoluto *convivio*, ut omnia fiant *ritu*, quam fieri possunt *absurdissimo*, *choreas* cum suis *Martinellis* ducunt, ad tympanum fistulamve alicujus sedentis in arbore bifida, dorsis invicem obversis, & in orbem junctis manibus, jactantes capita more fanaticorum & cantantes fescenninos, in honorem *Dæmonis* obscœnissimos. Delassatæ jam cum *Amasis* *Dæmonibus* fœdissime *commiscentur*, non *phantastice* tantum, sed & sæpe etiam *realiter*, ex quo tamen congressu, verus homo nunquam oriundus est. Negandum enim non est, quin *Diaboli* cum mulieribus congressum tum *phantasticum*, tum *realem* exercere possint, quatenus ratione ipsis possibili, & a DEO permessa, nobis vero incognita, per feminis aliunde sumpti effusionem, miseris hominibus illudunt, & titillationes in eis excitant, quamquam ipsam generationem, a qua effectus dependet minime concedamus. Denique instante termino, *sua unaqueque nar-*

*rat ab ultimo conventu facinora ; quæ quo magis execranda, eo collaudantur uberiorius ; si nulla, vel non satis atrocia, verberantur atrocissime a Demone, vel a Malefico quodam seniore. Ultimo pulveribus ( quos aliqui scribunt, esse hirci illius, quem Demon assumpserat, & quem adoraverant, subito coram illis flamma absumpti ) vel aliis venenis acceptis, sæpe etiam indicto cuique nocendi penso & pronunciato pseudoDEI Demonis decreto ; ULCISCIMINI VOS, ALIO-  
 QVIN, MORIEMINI, suas domos si prope sint, pedibus, sin distantiores ut advecti repetunt. Has omnes causas propter quas Diabolus mancipia sua ad ista Sabbatha vocat. Balduinus lib: Cas: Conf: 3. cap: 5. c. 7. quinque facit ; ut primo fiat hæc convocatio ad fœdus cum ipsa redintegrandum ; secundo ut novam a Diabolo nocendi potestatem accipiant ; tertio ut malefactorum suorum rationes Diabolo reddant ; quarto ut scelerati parentes in istis conventibus liberos suos etiam Diabolo offerant ; quinto ut testificentur qua cum alacritate Diabolo inserviant.*

## §. V.

In tempore horum conventuum examinando non convenit inter auctores; quorum quidam cum Balduino, ter in anno, hos celebrari volunt, cum quo conspirat etiam Job: Christ: Fromman, in appendice tract: sing: de fascinat: hæc habens: ter pariter coram Dæmone, singulis annis comparere & Sabbatha celebrare tenentur Magicæ societatis membra. Admittens tamen, præter generalia hæc comitia, particularia iis, qui nonnihil in religione Dæmoniaca vacillant, indici, ut devotionis Dæmoniacæ evadant tenaciores. Unde & Celeber: noster Doct: Job: Adam: Osiander, in tempore instituendo, nihil certi constitutique habere Satanam asserit, nec enim fieri hebdomadatim, nec menstruatim, nec annuatim docens, sed quando quotiesque illi Magistro visum fuerit, communiter tamen bis aut ter in anno fieri, ex plurimarum Sagarum confessionibus credi. Id autem certum est, tempus plerumque nocturnum,



*num*, & intempeſtæ noctis tenebras, hiſce conventiculis a *Diabolo* confecrari (quamvis nonnulli dicant fieri etiam meridie & interdium) idque *tam* ob hanc cauſam, quod ſc: *Damon* poſt ſædum lapſum e *Paradiſo* obſcurus effectus, lucem fugiat, tenebras veſpertilionis in modum amet, operaque ſua claræ luci exponere ſubterfugiat; quæ inde communiter nigra dicta ſunt. *Quam* ob illam, quam reddunt nobis *Feti*, ne ſc: tam facile detegantur & impediantur opera eorum, veniantque ad notitiam curiæ & juſtitiaë publicæ, quod fieret, ſi clara luce agitarentur.

#### §. VI.

*Locus* in quo *Sabbatha* & feſtæ noctes celebrandæ ſunt, variis in regionibus variat, & *vel* verus eſt mons, prarum, via, *vel* alius memorabili quodam objecto inſignis, *vel* præſtigiæ fraudibus apparens; cum quandoque conventus locus regiarum, palatiorumque magnificentiffime extructo-  
rum

rum splendorem mire, mira præstigi-  
 arum *Satanæ* efficacia exprimere videatur.  
 Cessante hac, patibulorum vel aliarum  
 abjectiorum sedum loca deprehendun-  
 tur: nec alienus ab his est *D. Joh: A-*  
*dam: Osiand:* ita super hac re differens:  
*Loci in quibus solent plerumque conventicu-*  
*la Magica a Demone institui, plerumque*  
*sunt sylvestres, occulti, subterranei, & ab*  
*hominum conversatione remoti. Indicuntur*  
*sæpius in locis longe dissitis, peregrinis, ca-*  
*ducis castellis & desertis, nonnunquam in*  
*compitis. Famosus autem in Germani-*  
*a conventiculorum locus, est mons*  
*Bructerorum, de quo ita & Joh: Georg:*  
*Godelm: lib: 2. cap: 4. de Lamis: Per vul-*  
*gata fama est, Lamias totius Germaniæ cer-*  
*tis unguentis illitas, noctu Cal: Maji in mon-*  
*tem Bructerorum, vulgo Bläcksberg &*  
*Hewberg brevissimo temporis spacio baju-*  
*lari. Atque his, hic labor adspiran-*  
 te JEHOVA, ad metam  
 decurrit,

